Ephemerides germanae.
tom. 2.

Tentamina ad succini solutionem.

à joann. christiano jacobi

... hinc incassum susceptis laboribus binas drachmas succini alcoholisati per 12 horarum spatium, cum binis olei succini drachmis in mortario lapideo terebam, majorique olei terebinthinae copiâ additâ, fortissimae digestioni subjiciebam, et oculis se obtulit egregia succini solutio, omnes resinosas et carnescentes succini partes complexa, salinis et terrestribus superstitibus, quae extensa super laminam, imbutam vernice à sandaraca facta, vitream duritiem et pelluciditatem induebat, ablutioni cum aquâ calidâ immutabilis. hujus solutionis beneficio universa anatomicae solertiae prodigia salva et incolumia ad seros usque annos conservari posset, nisi ejus praeparatio molesta sumtuosaque esset.

aliâ igitur methodo opus aggressus sum. Existimans namque, oleum petrae in succinum majori vi activum esse, si majorem subtilitatis gradum acquisivisset, octo hujus olei uncias uni librae lixivii saponariorum concentratissimi immiscebam, cucurbitaque inditum fortiter diu agitabam, unde colorem lacteum materia referebat; destillatione lentâ dein institutâ (quadrante exhalantes vapores elastici vehementes subsultus producebant) sex horarum spatio obtinebam oleum aethereum albissimum pellucidissimum, à specifico odore planè recedens, fragrantissimum. hujus unciam dimidiam cum drachmâ unâ succini alcoholisati per arenam destillavi, nullisque solutionis vestigiis apparentibus, ad siccitatem usque destillationem continuavi, quâ peractâ, infudi residuo oleum juniperi, simili modo cum lixivio saponariorum tractatum, odoremque specificum quidem, sed multò suaviorem spirans; iterum verò intentata solutio apparere recusabat. tum succinum alcoholisatum in vase terreo plano nivis quâdam portione irroravi, et calori ad deliquium nivis, in superficie mixti haerentis, tradidi; Liquefacta superficie, frigori vehementi per 24 horas materiam exposui, glaciem induere permisi, à quâ postea calore penitus in deliquium redacta, succino fundum petente, aqua nivalis decantabatur, omnibusque jam expositis quintâ vice reiteratis, succinum ita recludebatur, ut ejus textura post aquam nivis penetrasset,

N° 17

quae, evaporatione factâ, tanquam concretum gummoso-terreum apparebat, reliqua vero succini portio cum oleo terebinthinae perfectum connubium, ope digestionis fortioris, iniit, et sic vernicem albam et duram praebens ex parte votis nostris satisfecit. ad perfectius vero obtinendum scopum praefixum, naturae vestigia premens, viam elegi simplicissimam. inspersi nempe successive succinum alcoholisatum balsamo de copaiba, igne leniori fuso, factaque coctione, succinum perfecte solutum formam liquidam spissam, pellucidamque induebat, cui adhuc calido subjecta varia immisi, aërique postea liberiori ad perfectam exsiccationem exposui.

Suppeditavi itaque hac ratione anatomicis albissimam, diaphanam duramque materiam, in quâ, seu thecâ quâdam solertia anatomica structa tuto ab ipsis includi et distincte conspici queant, quae exsiccata, succino cum nive praeparato et in oleo ~~thea~~ terebinthinae soluto aliquoties obliniri, et in aere ad perfectam indurationem usque persistere debet, et sic habetur artificium Kerckringiano perfecte succedaneum